



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

10. Conversiones mirae ad Christ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

populus integer, Sciamhaim contendere leucis ferè distantem quatuor, ad dandum Christo nomen, & impetrandum à Patribus baptismum. Obfirmatum ad iter amici diu frustra reluctantes, salutant cum lachrimis, velut nunquam in viuis reuisuri, quod iam cadaueri, quam agro similior, aliorum potius brachiis quàm suis pedibus ferretur. At ecce tam sanus, tam succi plenus & benè habitus post octiduum ad suos reuertitur, vt fidem oculis negare non possent, & prodigium tam contra spem editum, alteri quam Christianismo, & sacro baptismati assignare, cuius tesseraium Symbolum precatoriam coronam de collo gestabat. Traxit multos ad Christum, prodigium insolens quibus confirmandis accessit alterum nihilo inferius priori; spectarunt enim per solidum mensem limpidae lucis geminas faculas, impendentes Neophyti adibus, ab solis occasu ad mediam noctem cerni ab omnibus, præterquam ab ipso (quod mirabilius) illo Neophyto, illuminandis nimirum tenebris ea luce, qua tunc Neophytus fruebatur. Excursionum hic solum memorabo, maximè omnium longinquam, minúsq; cæteris feracem; Nanhium versus suscepta est dierum itinere quindecim ad regenerandos Christo ethnicos non plus septem, & recreandos illic residuos, olim Riccij alumnos quibus ne qua decissent præsidia quæ aliis vquam Christianorum cætib; præbebantur, nec labori vnquam nec sumptibus parcitum.

Conuersiones memoria & scitu digniores, tres aut quatuor fuere. Scienhaj prima, vbi septuaginta annorum senex vitam dudum agebat, omni largitatis, & ieiuniorum, cultusque erga Deos assiduitate, ac profusione exercitam, nam idolis templum, cœnobium Bonziis ædificauerat, expilabatque se in copiam odorum quibus Deos suos acerra prodiga vaporabat. Quoties vero domum nostram (quod frequens illi erat) præteriret, atque vt est prona curiositas in externos, introspectaret attentè quæcumque poterat; semper illic & in Catechistis, & in familiaribus cæteris calligatum quiddam, & modestum notabat, quod alibi frustra requireret; conuersaque ab nostris obseruatione in omnes Christianos, hunc esse reperit communem omnium characterem, conformatione modesta corporis, oculorum, & linguæ impressum, quo illos ab aliis facillè secernebat; dolensque, proh! quantum nostri sunt, aiebat, à Christianis dissimiles, non laici modo, sed ipsi Bonziji: vnde illis hoc decus tam pulchræ virtutis si vero Deo, & lege vera carent? nobis vero qui sit, vt desit eadem modestiæ tessera, cum Diis optimis, & lege optima viuamus? nec sese ab ea dubitatione extricabat. Quæ tunc illum adstrinxit paulò post actius, periculosè ex morbo decumbens cœpit ambigere quid tandem se fieret, quàm tuto spes suas in ea beneficentia locasset, cui beatitatem in futurum reponendam pro se docebant Bonziji: an vero illa beatitas ad Christianos pertineret, quorum esset nemo qui Bonzios omnes præstantia morum non vinceret, quæ profecto non videbatur posse aliunde quam à lege ipsorum proficisci, fan-

10.  
Conuersio-  
nes miræ ad  
Christ.

10.  
Modestiae,  
& Castim.  
Christ in-  
gens pondus  
ad conuers.